Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1409
Quelle:
Copyright:

pii Holi (Calvi, rasi) *facta in die sanctorum Marci et Marcelliani Prage in lectorio Theologorum 1433. ex parte Taboritarum, super eo, quod diximus: Quantum bellis profecimus, vsque modo videmus.* Conspectum hujus Responsi dedit *Cochlaeus* L. VII. Init: *De materia bellorum novit, qui nil ignorat* &c. 3) *Responsio Baronum militum clientum ac communitatum Regni Boemie et aliquorum Marchionatus Morauie Die qua supra scilicet 18. Jun. in loco prenominato.* Init: *Cum duo commendata per paternitates reuerentiasque vestras* &c. Duriorem vocat et excerpit *Cochlaeus cit.* 4) *Replicatiua Responsio Ambasiatorum* &c. Init: *Communis omnium vox est* &c. Enotatur a *Cochlaeo cit.* et *Johanni Polemar* tribuitur. Addit ad calcem Noster: nil ad eam replicatum, sed exeuntibus e Congregatione Chartam in manus datam fuisse, qua priora *Bohemorum* proposita repetebantur. 5) Resumitur Narratio a 21. *Jun.* usque ad discessum Legatorum continens varias IV. Articulorum discussiones tam publicas, quam privatas, querentibus Legatis: *Quantumcunque tractatum incipimus, semper reducimur ad primordia scilicet ad articulos, quorum determinatio iam de communi voluntate suspensa est, et rotamur sicut pila, sitque de nobis ludus.* Finis: *In profesto sancte Margarethe arripuimus iter a Praga versus Basileam et in profesto inuentionis sancti stephani eandem in ponte bene compluti intrauimus.* 6) *Hec est steura imposita Monasterijs quam ad minus semel dabant in anno.* Enumerantur Monasteria XXIX. quorum, quae plurimum pendebant, *Brunouia* et *Chotiessow*, 300. videlicet Marcas, *Beata* autem *Virgo* nempe *Melitensium*, 330. eodem modo *Steura Civitatum* recensetur, quarum potissimae *Pilsna* 260. *Czasslauia* 220. *Budweis* et *Luthomircz* 200. Marcarum. 7) *Sententia reuocationis lapsorum et ad fidem hussitarum conuersorum.* Dolet nempe Sacerdos, se hactenus non distribuisse communionem sub utraque Specie, idque se deinceps facturum promittit. Addit *Haselbachius* notam: habuisse se *Pragae* in manibus *Bullam Caroli* IV. erigendi Vniuersitatem *Pragensem* datam *Anno* 1348. (non 47.) *septimo idus Marcij*, quam describit, subjiciens: *Sed Bullam confirmationis pape* (Clementis VI.) *dicebant se perdidisse, et post multa scrutinia non potuisse invenire etiam ante 20. annos.* Sed extat et haec in Archivo Universit. ut habes *Balbini Bob. docta P.* I. edit. 1776. p. 5. 8) *Finalis proposicio Boemorum in generali congregatione 1433. ipsa die Tiburcij Mart. 11. Aug. post laurencij in Basilien. Concilio per suos Ambasiatores proposita.* Ut apud *Labb.* T. XVII. *col.* 586. 9) *Motiua Thome de hasspach.* Contra Communionem sub Utraque privatim in chartam conjecta. 10) *Deliberatio* Ejusdem de Eadem 1433. *Basilee inter deputatos super ista in Refectorio Minorum.* Incipit: